

PRO ECCLESIAE UNITATE

Antiphona ad Introitum

Ps. 105, 47

Salvos nos fac, Dómine, Deus nos-
ter, et cóngrega nos de natióni-
bus: ut confiteámur nómini sancto
tuo, et gloriémur in laude tua. (T. p.
Allelúia, allelúia.) Ps. *ibid.*, 1 Confi-
témur Dómino, quóniam bonus:
quóniam in sáeculum misericórdia
eius. *✠* Glória Patri.

Oratio

Deus, qui erráta córrigis, et dis-
pérsa cóngregas, et congregáta
consérvas: quáesumus, super pópu-
lum cristiánum tuæ uniónis grátiam
cleménter infúnde; ut, divisióne re-
iécta, vero pastóri Ecclesiæ tuæ se
úniens, tibi digne váleat famulári. Per
Dóminum.

Lectio Epístolæ

beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios

Ephes. 4, 1-7 et 13-21

Fratres: Obsecro vos, ut digne am-
bulétis vocatióne, qua vocáti estis,
cum omni humilitáte, et mansuetúdi-
ne, cum paciéntia, supportántes ínvi-
cem in caritáte, sollíciti serváre unitá-
tem spíritus in vínculo pacis. Unum
corpus, et unus spíritus, sicut vocáti
estis in una spe vocatiónis vestræ.
Unus Dóminus, una fides, unum
baptisma. Unus Deus et Pater ómni-
um, qui est super omnes, et per óm-
nia, et in ómnibus nobis. Unicuíque
autem nostrum data est grátia secún-
dum mensúram donatiónis Christi:
donec occurrámus omnes in unitátem
fidei, et agnitiónis Filii Dei, in virum
perféctum, in mensúram ætátis pleni-
túdinis Christi: ut iam non simus pár-

vuli fluctuántes, et circumferámur
omni vento doctrínæ in nequítia hó-
minum, in astútia ad circumventi-
onem erróris. Veritátem autem facién-
tes in caritáte, crescámus in illo per
ómnia, qui est caput Christus: ex quo
totum corpus compáctum et conéx-
um per omnem iunctúram subminis-
tratiónis, secúndum operatióne in
mensúram uniuscuiúsque membri,
augméntum córporis facit in ædifica-
tióne sui in caritáte. Hoc ígitur di-
co, et testíficor in Dómino, ut iam
non ambulétis, sicut et gentes ámbu-
lant in vanitáte sensus sui, ténebris
obscurátum habéntes intelléctum, ali-
enáti a vita Dei per ignorántiam quæ
est in illis, propter cæcitatém cordis
ipsórum, qui desperántes, semetípsos
tradidérunt impudicítie, in operati-
onem immundítie omnis, in avarítiam.
Vos autem non ita didicístis Chris-
tum: si tamen illum audístis, et in ip-
so edócti estis, sicut est véritas in
Christo Iesu, Dómino nostro.

Graduale

Ps. 121, 6-7

Rogáte quæ ad pacem sunt Ierúsa-
lem: et abundántia diligéntibus te. *✠*
Fiat pax in virtúte tua: et abundántia
in túrribus tuis.

Allelúia, allelúia. *✠* Ps. 147, 12 Lau-
da, Ierúsalem, Dóminum: lauda De-
um tuum, Sion. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia
et versu sequenti, dicitur

Tractus

Ps. 75, 2-4

Notus in Iudáea Deus, in Israel mag-
num nomen eius. *✠* Et factus est in
pace locus eius, et habitatio eius in
Sion. *✠* Ibi confrégit poténtias árcu-
um, scutum, gládium, et bellum.

Tempore autem paschali omittitur graduale, et eius loco dicitur:

Allelúia, allelúia. *Ps. 147, 12* Lauda, Ierúsalem, Dóminum: lauda Deum tuum, Sion. Allelúia. *Ibid., 14* Quid pósuit fines tuos pacem, et ádipe fruménti sátiat te. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii
secúndum Ioánnem
Ioann. 17, 1 et 11-23

In illo témpore: Sublevátis Iesus Ióculis in cælum, dixit: Pater sancte, serva eos in nómine tuo, quos dedísti mihi: ut sint unum, sicut et nos. Cum essem cum eis, ego servábam eos in nómine tuo. Quos dedísti mihi, custodívi: et nemo ex eis périit, nisi filius perditiónis, ut Scriptúra impleátur. Nunc autem ad te vénio: et hæc loquor in mundo, ut hábeant gáudium meum implétum in semetipsis. Ego dedi eis sermónem tuum, et mundus eos ódio hábuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. Sanctífica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misísti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctífico meípsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui creditóri sunt per verbum eórum in me:

ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misísti. Et ego claritátem, quam dedísti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummáti in unum.

Antiphona ad Offertorium
Rom. 15, 5-6

Det vobis Deus idípsum sápere in al-
térutrum: ut unánimes uno ore hono-
rificétis Deum nostrum. (T. p. Alle-
lúia.)

Secreta

Múnера hæc pro unióne pópuli
Christiáni tibi, Dómine, obláta
sanctífica: per quæ unitátis et pacis in
Ecclésia tua nobis dona concédas. Per
Dóminum.

Antiphona ad Communionem
1 Cor. 10, 17

Unus panis, et unum corpus multi su-
mus, omnes, qui de uno pane et de
uno cálice participámus. (T. p. Alle-
lúia.)

Postcommunio

Hæc tua, Dómine, sumpta sacra
commúnio: sicut fidélium in te
uniónem præsignat; sic in tua Ecclé-
sia unitátis, quáesumus, operétur ef-
féctum. Per Dóminum.